

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9447

Auteur(s) : Henri Ier Beauclerc, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1124-1133]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation par Henri I, roi d'Angleterre, de la donation faite à l'abbaye de Savigny, par Raoul de Virey, Guillaume et Roger, ses frères, des églises de Virey, Brecey, Mesnil-Tove, etc.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. TARDIF, Jules, *Monuments historiques*, Paris, 1866, n° 409, p. 226-227.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 795, p. 289. Cronne Henry Alfred, Johnson Charles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum 1066-1154*, vol. 2, *Regesta Henrici primi 1100-1135*, Oxford, Clarendon Press, 1956, n° 1588, p. 227.

Texte d'après a

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, ego Henricus, Dei gratia rex Anglorum et dux Normannorum, pro salute patris et matris meae et omnium antecessorum meorum necnon et pro anima mea et uxorum mearum et prolis nostrae, concedo et praesentis paginae attestazione confirmo donum quod Rannulfus de Vireio et Willelmus et Rogerius fratres ejus, cum Agnete matre eorum et eorumdem uxoribus, Odelina videlicet et Rannulfi et Isabel Willelmi, dederunt aecclesiae sanctorum martyrum Christi Gervasii et Prothasii de Vireio : aecclesiam videlicet sancti Martini de Breceio ex integro, et aecclesiam de Monte Martini ex integro, capellariam etiam de Sajeio, et aecclesiam de Maisnilio Tove, et aecclesiam de Moliniis similiter ex integro ; adhuc autem etiam aecclesiam de Maildreio, excepta tertia garba decimae, quam inde habent sanctimoniales de Redonensi coenobio ; similiter et aecclesiam de Helduini Maisnilio, exceptis duabus garbis decimae quas canonici simul et monachi de Filgeriis habent ibi ; aecclesiam etiam de Gonlvilla, exceptis viginti quartariis ordeii quae de decima ejusdem ville habet Exaquiense coenobium ; nec minus aecclesiam de Chetelvilla, excepto feudo Gisleberti de la Hoga. Preterea dedit predictus Rannulfus eidem aecclesiae totam terram suam lucrabilem de Coluvreio, excepta foresta sua, in Vireio autem dimidiam terram Ivalli, et in Anglia xx solidos sterlingorum de feudo comitis Moritoniensis. Haec omnia predicti fratres cum matre sua et uxoribus, sanctis martyribus et aecclesiae pretaxate pro salute sua et omnium predecessorum et filiorum suorum, consensu et concessione dominorum suorum, Stephani videlicet comitis Moritoniensis et Henrici de Filgeriis, qui et ipsi ejusdem beneficii cum antecessoribus et uxoribus suis participes esse desiderant, contulerunt ipsam autem eandem aecclesiam, cum omnibus quae prescripta sunt, Sancte Trinitati de Saviniaco et abbati loci illius, ordinatione simul et voluntate dominorum suorum, opitulante etiam

Turgiso venerabili Abrincarum episcopo et canonicis concedentibus, in possessionem perpetuam tradiderunt, eo nimirum intuitu pariter et tenore, ut, apud Vireium, in prefata martyrum Christi aecclesia, per dispositionem et preceptum Savinniacensis monasterii, sub priore vel sub abbate, si fieri potest, ordo monasticus per divinam gratiam teneatur. Quam procul dubio donationem illibatam in perpetuum custodiri ego auctoritate principali constituo. Si quis autem eam imminuere vel violare temptaverit, et severitati canonum tanquam sacrilegus sub anathemate subjacebit, et apud principalem fiscum, omnium quae possidebit, detrimentum incurret. Porro ut haec intemerata simul et inconvulsa permaneant, ego ipse manu mea subscribo et presentem cartam signo sancte crucis corroboro. Signum + Henrici regis Anglorum. Signum Adelize + Anglorum regine. Signum Johannis Luxoviensis + episcopi. Signum Rocardii + Baiocensis episcopi. Signum Willelmi + de Albinniaco. Signum Henrici + de Filgeriis. Signum Johannis + Baiocensis. Signum Rannulfi + de Vireio. Signum Johannis Sagiensis + episcopi. Signum Gaufridi + cancellarii. Signum Stephani + comitis Moritonensis. Signum Ricardi + filii Gisleberti. Signum Rotberti comitis + de Gloeestr. Signum Gaufridi + de Glintona. Signum + Turgisi episcopi. Signum + Fulcherii archidiaconi. Signum + Hervei thesaurarii.